

1221.

1298 d. 18 Mars.

Hult.

Biskopen L<sup>AS</sup> i Linköping stadfästelse på en öfverenskommelse mellan Kyrkoherden Forkund och Thorer i Näs om en ö.

A. 8. h \*).

Omnibus presentes literas inspecturis. LAURENCIUS dei gracia Episcopus lyncopensis. salutem in domino sempiternam. Notum facimus vniuersis Nos presentes fuisse et vidisse quod nemda parochialis de hulti, quandam insulam dictam býarø. super qua controuersia inter Dominum forcundum rectorem Ecclesie ibidem, et thorum de næsi vertebatur, se exhibuit et legaliter defendere voluit, ad vsus dicte Ecclesie et sacerdotis nunc existentis, et suorum successorum. testibus super hoc diligenter examinatis et auditis. quod videns idem thorus, et se in hac parte processum non habere recognoscens, cessit liti, et voluntarie compositionem iniit, suorum mediante consilio amicorum, vt dicta insula memorate Ecclesie et sacerdoti qui pro tempore in eadam fuerit, cedere debeat, jure perpetuo et irrevocabili possidenda. Tali nichilominus condicione adiecta. quod prefatus thorus et sui heredes, piscaturas suas apud predictam insulam sitas habeant, jta quod sacerdoti qui pro tempore fuerit vt premissum est, super prato suo infra sepe dictam insulam sito, nullum dampnum inferant, vel grauamen. Ne igitur super hoc in posterum aliqua ambiguitatis materia, seu aduersancium calumpnia generari poterit, huiusmodi compositionem, consensu et voluntate vtriusque partis accedente, tamquam rite et rationabiliter factam, perpetuis temporibus ratam et firmam esse decreuimus, et sigillo nostro presentes literas fecimus insigniri, in premissorum testimonium et cautelam firmiorem. Datum hulti anno Domini M° CC° XC° Octauo. feria tertia proxima, post Dominicam medie quadragesime.

Sigillet förkommet.

1222.

1298 d. 22 Mars.

Bred.

Kaniken i Upsala ISRAEL PETERSSONS Gåfvobref på Hambra samt Alversta i Botkyrke socken till Upsala Domkyrka.

A. 3. a.

Vniuersis presentes litteras Inspecturis, JSRAEL PETRI filius, Canonicus vpsalensis, salutem in domino sempiternam. Naturale est et rationi eon-

\*) Efter originalet vid Hults kyrka i Jönköpings Län, och vidimation häraf d. 13 Jan. 1443; afskriften meddelad af Herr Kammar-Junkaren L. F. Rääf.

sentaneum, vt diligentem se quisque diligit, et beneficij accepti immemor nequaquam existat, Idcirco hac inductus consideratione beneficiorum atque dileccionum, michi per venerabiles patres, vpsalensis ecclesie videlicet prelatos, a retroactis temporibus, beneuole factos, inmemor esse nolens Tenore presencium ad noticiam omnium volo deuenire, quod ob remedium anime mee parentumque meorum, ex consensu et voluntate expressa, dilecti fratris mej, Domini Birgeri legiferi vplandensis Curiam meam Hambra cui duodecim ore terre subiacent, secundum computacionem wlgarem et sedecim solidos terre in villa Æluerstum, parochie botuidhe kirkiu, dyocesis strengienensis situata, cum agris, pratis, siluis et piscarijs, et omnibus alijs mobilibus et immobilibus bonis, ad illa qualitercumque pertinentibus, Titulo donacionis inter viuos facte, do, confero, et assigno, ecclesie vpsalensi, Jure perpetuo possidenda, Jus omne, proprietatem, dominium, et possessionem michi in predicta Curia Hambra, predioque Æluerstum supra dictis, ac alijs omnibus et singulis, in eisdem bonis vsque ad hec qualitercumque attinentibus, in ecclesiam vpsalensem exnunc transferens, et translata esse denuncians per presentes, Que omnia in manibus Reuerendi patris domini Mei Nicolai de j gracia, eiusdem ecclesie archiepiscopi, presentibus dilecto fratre meo predicto, domino Birgero legifero, Ac alijs quampluribus discretis, libere dimisi et eidem nomine ecclesie vpsalensis pleno jure assignaui, In huius autem mee donacionis dimissionis et assignacionis euidentiam. Memoratique fratris mej domini Birgeri legiferi, expressi consensus testimonium vna cum sigillo meo, sigillum ipsius presentibus est appensum, Actum apud ecclesiam Bredh, anno domini Millesimo. ducentesimo. Nonagesimo, Octauo, Sabbato ante Dominicam passionis proximo.

Sigillen hafva varit fästade på remsor, klippta ur brevet; blott ett fragment af N:o 2 är kvar.

1223.

1298 d. 27 Mars.

Arnö.

JOHAN ENGELS, JOHAN INGEWALDSSONS och MAGNUS GREGORSSONS öfverenskommelse med Årke-Biskopen i Upsala rörande fullgörandet af Kaniken Carl Erlandssons testamente.

A. 3. a. 4.

Omnibus presentes litteras Inspecturis JOHANNES dictus ANGELUS, JOHANNES INGIUALDSSON legifer sudhermannie Responsalis fulkonis & MAGNUS GREGORISSON Responsalis filii sui petri, salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus deuenire Quod nos tractaturi de Testamento domini Karoli Erlendson, bone memorie Canonici quondam ecclesie vpsalensis, conuenientes cum venerabili patre domino Ni-